

Urbanus Regius¹⁾ an Vadian.*Ingolstadt. 1517. Mai 16.*

Erwähnung eines früheren Briefes aus dem Jahre 1514 und der Vadian inzwischen zu teil gewordenen Ehren. Preis der Gelehrsamkeit und Beliebtheit Vadians, insbesondere seiner Schrift «Gallus». Rudolf Agricola und Matthias Kretz werden als Freunde Vadians genannt.

S. D. Anno decimoquarto ad te scripsi (clarissime vir) atque id audentius, quod te perhumanum esse honestarumque artium professorem constans fama erat. Hactenus nihil literarum ad te dedi ob ingentem fortunę mutationem. Inaudieram enim, te primo Cęsarıs manu laureatum; dein, quod tuis virtutibus dignum erat, ordinarię poetice lectioni præfectum; accesserat postremo summus ille literatorii gymnasii magistratus; quibus honoribus cum te perfunctum viderem, ne hiscere quidem audebam, nam tenuis fortunę homuncionem, tantę dignitatis fulgor facile a scribendo deterruerat. Verum ex litteris nuperrime ad Eckium nostrum missis, multa salute tam amanter tuum Urbanum obruisti, ut liquido intelligerem, te virum magnanimum fortunam utramque equo ferre animo posse nec unquam aut fortunis aut honorum fastigio insolescere, facilem te præbere^{a)} vel litteratoribus, si qui in tuorum amicorum numero haberi cuperent. Quid igitur scribam, nihil sane habeo, quam pios et amicos affectus, quos ingenue in te hominem mihi amicissimum effundam. Dicitur mehercle non potest, quanto sim gaudio perfusus, cum Vadianum, conterraneum nostrum, virum non minus doctum quam eloquentem, præmia singulari illi ingenio omniuigæque eruditioni debitissima consecutum accepissem teque in frequentissimo auditorio tanta gratia^{b)} profiteri, ut in te Chunradus Celtis, Germanorum poetarum primus, revixisse existimetur et, quod phoenice rarius est, nemo auditorum sit, cui displiceas; nempe eloquentię adeo feliciter eruditionem copulas, ut qui linguę nitore capiuntur, abunde habeant, quo oblectentur; quibus doctrina placet, sa-

pietiam ex te ceu promptuario hauriant in omni scibilium genere. Id quod verissimum esse didici, postquam divinam illam ingenii foecunditatem in Gallo tuo eleganti consexi, in quo dii boni quanta vel verborum vel sententiarum ubertas, quod artificium et quod — citra fucum dixerim — opus tam doctum, ut ne Momus quidem carpere queat. Loquor, quod sentio, animum in fronte gero, nec vereor, ne eo iudicio decipiar, ut quod non ex amore proficiscatur, sed amor potius^{c)} ex iudicio. Gratulor patrię nostrę tantum virum, gratulor Viennę, quę te duce amoenissimum Musarum domicilium fit. Soleo sæpius^{d)} cum Eckio, præceptore meo, de tua conditione deque studio indefecto commentari, cui equidem invideo dulce illud Vadiani colloquium, sales, lepores, quibus anno superiori coram reffectus est; meo item Rodolfo Agricolę iucundissimam hanc consuetudinem invideo, qua ipse frui tam vellem, quam quod omnium maxime. Sed et alii idem discipiunt. Nondum arbitror e memoria tua effluxit Matthias Cretz, tibi olim condiscipulus; is iam mihi collega de nullius hominis mentione tam vehementer lætatur ac sui Vadiani; honorifice de te loquitur et unice diligit. In summa. Amicos et nominis tui admiratores undique Gallus tibi comparat aut excitat. Utinam et alias tuas lucubrationes bibliopolę apud nos venderent, pulcherrimas Vadiani imagines, quandoquidem maximo locorum intervallo disiunctis ore ad os loqui negatum. Nihil prorsus eorum, quę Viennę excuduntur, ad nos pervenit, quod dolentissime fero tum propter aliorum tum maxime tuos libros, quos tua incude non parum multos formare diceris. Iam nihil habeo, quod absentis amici desiderium^{e)} leniat. Tu doctorum decus unicum vale et extemporariam scriptionem, quę febribus laboranti tumultuarie excidit, boni consule. Gundelius meus, tui studiosissimus, noluit sine meis literis abire. Angilostadii, 16 Maii, anno etc. 17.

M. Urbanus Regius.

Eloquentissimo et doctissimo viro, domino Ioachimo Vadiano,
honestarum artium et poetice in Viennensi gymnasio literario
ordinario professori, fautori suo amicissimo.

Viennę.

a) „prebere“. — b) „gracia“. — c) „pocius“. — d) „sepius“. — e) „desyderium“.

1) *Urbanus Regius*, ein gelehrter Theologe, sehr fruchtbarer Schriftsteller, wurde 1490 zu Langenargen, zwischen Lindau und Friedrichshafen, geboren, starb als lüneburgischer Superintendent 1541, nachdem er der Sache der Reformation unvergängliche Dienste geleistet. Von ihm liegen zwei Briefe an Vadian aus den Jahren 1517 und 1522 vor. Vrgl. Horowitz und Hartfelder, Briefwechsel des Beatus Rhenanus, p. 148.